



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium,  
Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum  
Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 2. An Florianus teneatur resarcire damnum Flaviano à famulo illatum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

dendum, cùm absque sua culpa & malitia periit. Conf. ex Lug. l. c. quia ejusmodi contrahentes nullo modo intendunt, se obligare ad restituendum pro casu merè fortuito, ut omnes inquit, fatentur; sed quando res aliena perit absque ulla culpa theologicā, sed propter naturalem oblivionem, & inadvertentiam non minus est fortuitus ille casus in foro conscientiæ, quam si periisset incendio, vel inundatione &c. ergo neque pro isto casu volunt se obligare in foro conscientiæ.

<sup>103</sup> Ad 2. Q. R. Florianum, per se loquendo, obligatum esse ad damnum Flaviano resarcendum. Ratio colligitur ex dictis; quia depositarius circa res depositas tenuit adhibere eam diligentiam, quam adhibet in curandis rebus propriis, quam si non adhibeat, censetur committere gravem negligentiam, & culpam latam in deposito custodiendo: atqui Florianus talem diligentiam non adhibuit in deposito custodiendo, cùm pecunias proprias in arca benè clausa depositas custodiverit, deposito in cubiculo relieto, ad quod aditus famulis subinde patebat, & occasio facilis esse poterat ad furum committendum; ergo reus erit culpabilis gravis negligentiae, & culpæ latæ. Dixi per se loquendo; nam si certò sciret, se nullam negligentiam coram Deo culpabi-

lem, & theologicam admisisse; posset in foro conscientiæ se accommodare sententiæ suprà relatae. In foro tamen externo quoties culpa lata est, & dolus præsumitur, ea præsumptione stante, depositarius condemnatur, juxta citt. c. bona fides &c.

<sup>104</sup> Ad 3. Q. cùm cista deposita restituenda est, & qui illam deposituit, asserit, aliquid in ea amissum esse, videndum est, an cista restituatur clausa & obsignata, sicut erat ab initio, cùm ea in custodiā tradita est, ita ut nullum signum aperitionis appareat, nec quidquam aliud in contrarium mutatum comprehendatur, an verò referata restituatur, aut signa aliqua mutata apparetant &c. si primum contingat, tunc deponenti incumbit obligatio probandi, talem rem fuisse in cista, & ex dolo, vel culpa depositarii fuisse aliquid amissum, quia dolus, & culpa non præsumuntur, nisi probentur. Si verò cista referata reddatur, cùm prius fuerit clausa & obsignata, vel aliquid apparet fuisse mutatum, v. g. sigillum non fragile &c. tunc cista præsumitur referata dolo depositarii, vel ab eo, non debito modo, & cautelâ custodita; adeoque teneri ex dolo, vel culpa lata.

Quòd si Dominus pecuniam numeratam, non clausam, nec obsignatam alterius custodiz committat,